

- Nondum vesper erat, at solis longior umbra
 10 Noscitur, ut reddant paulatim sidera noctem.
 Ergo contenti cives de more per urbem
 Exercent operas, ut se parvosque nepotes
 Victu sustineant et frigus veste repellant.
 Ocia sunt aliis, quibus est es grande relictum
 15 Defunctis patribus quondam, quis apta voluptas
 Predia et ingenium; nec mirum forsán habebant,
 Si locus est media visu quasi pulcher in urbe.
 Hunc lirico cecinit Occultus carmine gaudens¹:
 Est ibi pons unus², tibi qui prebet, advena, munus.
 20 Munus erat pontis: dulci fragraret odore³,
 Virgineus iuvenum cantus mulceret in aures.
 Sed non plus patitur lucro sibi vivere cives,
 Ut puto, fortuna caudatum seva per astrum⁴.
 Rauca dat horrendos campana, quid imminet, ictus.
 25 Dixerat exanguis⁵ populus: 'Quid vult sibi pulsus?'
 Sed magis atque magis confirmant turribus ignes
 Tedas vulcani, sed adhuc sub tegmine flamas.
 Per cunctas errant⁶ primum de more plateas,
 Tandem suspiciunt, tenues quod fumus in auras
 30 Surgit turrito densus de ponte, favillis
 Flamaque non longo post tempore culmina vincit.
 Interea matres, si sint sibi rupe caverne⁷
 Yma, quibus condunt ut salvet pocula frigus,
 Precipitant merces, quas reddat concava fornix.
 35 Optimus hic socius aliique levare periclis
 Succurrunt caris, dolet hic, sed surripit ille.
 Hic coctas succis exportat dulcibus uvas,
 Hunc premit in dorso saccis nux plurima clausis.
 Ciriceus⁸ pannus quasi fumat tractus ab igni.
 40 Quid fit? in ardenti redolet crocus undique ponte
 Damno distractus; laborantum corpora sudant.
 Ut longo parta prudens formica labore
 Salvat, ubi pluviam properat mox ventus in urbem,
 Ne patres vel avi pereant prolesque futura,
 45 Fasce gravis tota domus altas scandit in herbas:

1) Der Verf. citiert das Gedicht des Nicolaus de Bibera, der sich als Occultus bezeichnete, und der in der Schilderung der Stadt Erfurt v. 1853 sagt: Est ibi pons unus, ubi si petis advena munus. 2) Die Krämerbrücke. 3) Vgl. den Brief oben S. 188. 4) Weil ein Komet erschienen war. Vgl. oben S. 185. 5) 'exaguis' oder 'exagnis' Hs. 6) Nämlich 'cives'. 7) 'cauernis' Hs. Cf. Verg. Aen. III, 443: 'rupe sub ima'. Aber ich denke, 'sibi' ist keineswegs in 'sub' zu ändern. 8) D. i. 'sericeus'.